



Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologica

Ex Sacris Scriptvris, Conciliorvm Pontificvmqve Decretis, Et Sanctorvm Patrvm Ac Doctorum Placitis Expressa ; In qua, quidquid tum ad fidei mysteria sanè ac rectè intelligenda, & ab erroribus quibusvis secernenda, tum ad sacramenta debitè conficienda & ministranda, tum ad actiones humanas iuxta ...

Complectens ea quæ ad Sacramenta & mores pertinent

Abelly, Louis

Coloniæ Agrippinæ, 1659

XIII. Quænam sit conditiones ad confessionem debitè faciendam requisitæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38979

SECTIO XII.

*Quanam sint conditiones ad confessionem debitam
faciendam requisita.*

QVIDAM Doctores sexdecim eiusmodi conditiones enumerant; quæ licet alioquin omnes bonæ sint ac utiles, plerasque tamen illarum minimè necessarias esse monet Tolet. lib. 3. c. 7. qui eodem cap. & seqq. quinque præsertim conditiones ad confessionem debitam faciendam requiri docet.

Prima est, ut sit *Diligens*: id est, ut pœnitens confessionem non accedat, quin prius peccata sua diligenti præmissio examine in memoriam sibi revocare conetur, aliàs qui nullam eiusmodi diligentiam adhibere veller, ad confessionem admittendus non esset: imo qui ex culpabili negligentia peccatorum aliquorum mortalium oblivisceretur, quæ idcirco in confessione declarare omitteret, ipsam confessionem ex integro repetere teneretur, ut asserit idem Tolet. c. 9. ubi rectè observat, diligentiam illam non æqualiter in omnibus requiri, sed pro diversa ratione personarum, & status, nec non temporis ex quo ultima confessio facta est, determinandam esse; illumque, qui multis & variis negotiis implicatus est, teneri ad maiorem diligentiam adhibendam, quàm is qui ab eiusmodi negotiis vacuus & liber est; similiter qui tempore diuturniori expertus confessionis fuit, quàm qui breviori.

Secunda est, ut sit *fidelis & vera*: id est, ut pœnitens veraciter, & sincere Sacerdoti conscientia sua statum aperiat, neque negando quæ commisit, neque scienter sibi imponendo, quæ non commisit, neque item dubia pro certis, aut certa pro dubiis proponendo: mentiri enim in confessione (ut ibidem docet) grave peccatum est, quando scilicet hoc fit deliberatè, & in materia aliqua gravi.

Tertia est, ut sit *Secreta*: id est, ut pœnitens non coram aliis & publicè, sed secreto & ad aurem ipsius Sacerdotis peccata

peccata sua explicet : hanc enim esse confessionis Sacramentalis conditionem ex ipsius Christi Domini institutione rectè docet & probat Iſamb. diſp. 15. de Pœn. art. 9. un. de Concil. Trid. ſeſſ. 14. can. 6. expreſſè aſſerit, Eccleſiam ſemper obſervaviſſe, & obſervare modum illum ſecre- confitendi: & c. 3. ejuſdem ſeſſ. dicit, quòd, *etſi Chriſtus non vetuerit, quin aliquis in vindictam ſuorum ſcelerum, & ſuam humiliati- onem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Eccleſia offenſa adificati- onem, delicta ſua publicè confiteri poſſit: non efficitur hoc divi- no præcepto mandatum; nec ſatis conſulte à ſuperioribus aliqua lege præciperetur, ut delicta, præſertim ſecreta, publicè eſſent confessione aperienda.*

Quarta confessionis conditio eſt, ut ſit *Obedirentia*: id eſt, ut pœnitens habeat voluntatem & propoſitum exequendi ea, quæ confeſſarius ipſi tanquam neceſſaria præſcripſerit, v. g. fugiendi proximas peccati occaſiones a- liena reſtituendi, pœnitentiam impoſitam adimplendi, &c.

Quinta denique conditio eſt, ut ſit *Integra*: quæ quidem conditio, quoniam gravioris alicuius momenti eſt, ſeq- ſect commodiùs explicabitur.

SECTION IV.

Quæ ſit integritas confessionis ad validitatem & fructum eius requiſita.

CERTVM eſt integritatem confessionis, non Eccleſiaſtico ſolùm, ſed Divino etiam jure neceſſariam eſſe, pœnitentesque ad peccata ſua omnia in confessione declaranda ex Chriſti Domini institutione obligari. Hoc expreſſè docuit Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. cujus quidem verba, quoniam doctrinam pro hujus Sacramenti partem maximè neceſſariam continent, paulò ſubiùs hic attace- non erit inutile: dicit igitur *Sacerdotes à Chriſto Domino in- quæ præſides, & iudices in Sacramento Pœnitentiæ conſtituti*